

746



F. K. I. 46.

I  
IIa  
746

AD  
SACRA GENETHLIACA  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI CHRISTIANI

MARGGRAVII BRANDENBURGICI BORVSSIAE  
SILESIAE MAGDEBURGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM  
STETINI POMERANIAE CASSVBORVM MEGAPOLEOS CROSSAE DVCIS  
BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS PRINCIPIS HALBERSTADII MINDAE CA-  
MINAE VANDALIAE SVERINI RACEBURGI ET MVRSHI COMITIS GLAZAE  
HOHENZOLLERAE MARCAE RAVENSBERGI SVERINI DYNASTAE

RAVENSTEINII ROSTOCHII

STARGARDIAE RELIQUA

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

D. XVII. IVL. A. O. R. CIJ 13 CC LXIV.  
SOLEMNI PIETATE PERAGENDA

PRORECTOR

IOANNES RVDOLPHVS  
KIESLINGIVS

THEOLOGIAE DOCTOR AC PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS  
TEMPLI ACADEMICI ANTISTES  
VNA CVM

PROCANCELLARIO ET SENATV  
DECENTER INVITAT.

---

PRAEMITTITVR EXERCITATIO  
DE LITTERARVM IN FRANCONIA STATV TEMPORE  
IMPERATORVM SAXONICORVM.

---



ERLANGAE  
TYPIS TETZSCHNERIANIS.



**E**t tempore, quo imperatores Saxonici fasces tenuere,  
tum ingens doctorum virorum penuria, tum status  
religionis tristissimus fuit. Altiores enim in dies radi-  
ces tunc egit turpissima superstitione; praesulum autem Romano-  
rum illius aevi plerique homines monstruosi, moribus perditissimi,  
usquequaque foedissimi, vel ab ipso BARONIO, acerrimo alioquin  
pontificatus propugnatore, immo quondam candidato, iure vo-  
cantur \*). Vt vero nulla facile res adeo mala esse solet, quin si-  
mul aliquatenus et proficit: ita misera illa, de quibus loquimur,  
tempora omni posteritati eam praestabunt utilitatem, ut sint docu-  
mento, Deum O. M. vniuersam rem publicam Christianam anti-  
stutum Romanorum arbitrio gubernari, omnesque Christo addi-  
ctos ab iis diuinorum oraculorum interpretationem, religionis  
menstrum, et scita, nulli errori obnoxia, petere et accipere, neu-  
triquam voluisse. Etenim quare in eorum vita et moribus non  
ea apparuit honestas, integritas, sanctitas, que terrarum orbi  
eos potuerunt commendare, fidemque facere, in monte Vaticano  
veritatem doctrinae, et vniuersi iuris sinceritatem, querendam,  
inueniendamque esse? Sane, aut prouidentia diuina per tantam  
annorum seriem τὴν εὐκαιρίαν καθάριη defuit; id quod dicere absur-  
dum, cogitare nefas: aut summi supremum eius regimen et do-  
ctrinam a pontificum Romanorum ore noluit pendere. Nec mi-  
rum, quem commentitii illi diui Petri successores pessima omnium  
vitiorum exempla praebuerint; quem non minus immani ambi-  
tioni, quam libidini, alilicue cupiditatibus insanis laxauerint fre-  
na; quem alia omnia magis, quam litteras, litteratosque viros  
amauerint: reliquorum euiam praefulum et sacerdotum plurimos  
fuisse eiusdem furfuris homines; illaque tempestate disciplinam  
prolapsam; eruditionis vero laudem tantum non extinctam esse.  
Profecto, plane tunc ex Europa aufugient Musae, nisi eas qui-  
dam patres cucullati claustris suis receperissent, ac nisi passim non-  
nullae floruerint scholae, doctis, ut tum erant tempora, viris in-  
structae. Tales in Saxonia erant in primis Gandershemensis et  
Magdeburgensis; quarum haec Othrici maxime industria effloruer-  
\*\*); sicut Gandershemii ornamentum summum eodem tempore  
fuit Rosvita, virgo sacra, genere et doctrina nobilissima \*\*\*)). Ot-  
tonis III tempore autem Hildeshemensis quoque et Halberstaden-  
sis scholae claruere \*\*\*\*). Ipsi imperatores Saxonici litteras, quibus  
tunc

\*) BARON. annal. T. X. ad ann. 897. §. 4.

\*\*) DITHMAR. MERSEB. L. III. p. 344.

\*\*\*) conf. MEIBOM. in vita, illius Panegyrico in laudem Ottomus praemissa,  
T. I. script. rer. Germ. p. 706. vossius de hispot. Latin. L. II.  
c. 41. p. 351. FABRICII bibl. med. et inf. Latin. Vol. III. p. 829.  
MART. FRID. SEIDELII icones et elogia p. 1. et vitam Rosuitac, quae  
anno M DCC LIX Dresdae prodiit.

\*\*\*\*) TANCMARVS in vita S. Bernwardi c. 1. p. 441. et c. 31. p. 456.

AUCTOR VITAS S. MEINWERCI §. IV. p. 519.

tunc procerum plerique nullum, aut perexiguum, statuebant pretium, amabant impense; ipsique haud indecti erant. De eruditione Ottonis I et II testes locupletissimos habemus WITTIKINDVM CORBEIENSEM \*), et ECKEARDVM iuniorem \*\*); qui quidem simul, quantae curae vtrique fuerint illius aevi scholae, commemorat \*\*\*). Bruno quoque, Ottonis frater, antistes Coloniensis, inter viros illius aetatis doctissimos referendus est. Hinc, quem adhuc, in aula fratris, archicapellani, quem vocant, munere fungeretur, palatum regium patebat viris doctrinae laude conspicuis; quorum sermonibus ipse fortissimus imperator intererat subinde, atque ita regni curas voluptate liberali distinguebat \*\*\*\*). Graecae linguae, quam Otto II propter Theophaniam coniugem, Romani Angeli imperatoris filiam, Nicephori Phocae priuignam, didicerat, peritiam aliquando hunc imperatorem e praesentissimo vita periculo eripuisse, notum est \*\*\*\*\*). Quanta fuerit Ottonis III eruditio, cum alii multi testantur, tum praecepit epistola GERBERTI, tunc praefulsi Remensis, ad hunc imperatorem, quem ei commentariolum in quendam PORPHYRII locum mitteret, exarata \*\*\*\*\*); vti, egregiam iuuenum in addiscendis litteris industriam iam tum laurea ornatam esse, ex alia epistola discimus \*\*\*\*\*). Henricus II autem amore suum erga viros, pie-tatis et scientiae gloriae insignes, prodiga liberalitate erga claustra, quorum tunc muris omnis eius aevi doctrina continebatur, tatis superque declarauit.

Caeu tamen, horum imperatorum tempore, inter Germaniae prouincias, solam Saxoniam de nonnullo litterarum flore glori-

\*) WITTIK. CORB. L. II. p. 650.

\*\*) ECKEARDVS iunior de cajis S. Galli c. 16. p. 54.

\*\*\*) CONF. LEHMANNI chron. Spirens p. m. 393. et 396.

\*\*\*\*) Hos inter eminebat RATHERIVS, antistes Veronensis. FOLCVINVS de gestis Abbat. Leobeniensium cap. 22. (in Spicilegio d'ACHERII T. II. p. 370. edit nouiss.) Otto, tunc potentissimus Rex, Austrasiis et subiectae Italiae imperialitas, cuius frater Bruno unicum et singulare in Christi ecclesiae decus futurum, velut pretiosissimum lapis multiplicibus philosophorum poliebat argumentis. Adlocutus Ratherius, et baletur inter palatinos philosophos primus. Quid multa? non desitit, donec regiam et misericordiam indoleat, in omnibus disciplinis perficiacissimam redderet et perfectam. VITA BRUNONIS cap. 7. Quocumque circumagebantur tabernacula, aut castra regalia, bibliothecam suam, sicut aquam dominicam, circumduxit, ferens secum et causam studii sui, et instrumentum: caufam in diuinis, instrumentum in gentilibus libris.

\*\*\*\*\*) DITHMAR. MERSEBURG. L. III. p. 346.

\*\*\*\*\*\*) Hanc epistolam notatu dignissimam separatim primum edidit MABILLONIVS in anedelis T. 1. extit. Deinde plenius, cum ipso libro, PEZVS in thesauro anedotorum T. I. P. II. p. 149.; et ex eo MARCOVIVS in commun. de rebus imperii Germanici a Conrado I. usque ad obitum Henrici III. p. 41. adnotat. Confer quoque HERMANNVM CONTRACTVM ad ann. M., aliosque.

\*\*\*\*\*\*\*) Epist. GERBERTI 152. vbi Gerbertus diuinorum peritisissimus, ac tribus Philosophiae partibus laureatus vocatur. Vide etiam VITAM MEINWERCI S. 52. p. 546.

gloriarī potuisse, existimes. Etenim, (ne quid in praesenti de alis regionibus dicamus) Franconiam etiam nostram eruditio[n]is illorum temporum haud expertem fuisse, hac scriptio[n]e ostendam. Omnes quidem scholas, in Franconiae monasteriis tunc habitas, recensere, nihil attinet; sed eas modo nominabimus, quae inter reliquias caput eo tempore tantum extulerunt.

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Has inter primo loco occurrit Fulda, quae Carolidarum iamiam aetate doctorum virorum seminarium fuit. Sub imperatoribus autem Saxonici ista Musarum sedes adhuc maiori adolescentium, discendi cupidorum, concursu celebrata est\*). Atqui Fuldam tunc, cum vniuerso pago *Grabsfeld*, Franconiae annumeratam fuisse, quis nescit? Crescebat quoque, imperante Ottone I, fama scholae Heribopolensis, e qua tunc, inter alios, Wolfgangus, antistes postea Ratisbonensis, ob virtutes et vitae sanctitatem inter diuos relatus, prodit\*\*). Debebat schola illa incrementa sua (prima enim initia ignoramus) Popponi I praesuli, ex antiquissima gente Hennebergica oriundo, qui cum felici nascendi forte eximias animi corporisque dotes, et p[re]aclaram, ut tunc erant tempora, eruditio[n]em coniungebat. Euocauerat ille ex Italia Stephanum quemdam, virum tunc celeberrimum, ex consilio, ut ingenua pubes ei in disciplinam traderetur, scholae Heribopolitana, fama viri, in dies maiora capere incrementa\*\*\*). Minor sane, *LAVNOIVM* in libro de scholis celebrioribus, seu a Carolo M. seu post eundem per occidentem instauratis, huius scholae nullam plane fecisse mentionem; quamquam et Magdeburgensem omisit, aliasque. Nec dubitari potest, quin Henricus II imperator, quum praeſulatum Bambergensem conderet, statim etiam scholam, quae deinde ibi floruit, instituerit. Hannonem enim, qui anno post pacem diuinitus redintegratam MLVI pontifex Colonensis creatus est, cuiusque postea auctoritas inter proceres imperii summa fuit, in iuuentute optimarum artium studiis ibi vacasse, auctor est *LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS*\*\*\*\*). De schola quidem Eichstettensi nihil inuenio; sed, quum omnes omnino antitributes

\* ) Vide de schola Fuldeni *LAVNOIVM* de scholis celebrioribus seu a Carolo M. seu post eundem per occidentem instauratis p. 40. edit. Fabric.

\*\*) FRISIVS in chron. Heribip. p. 434. Boppo . . . homo in sacris et profanis litteris luculent[er] infinitus . . . sub hoc scolae, qua Canonici, tam nobilium, quam caeterorum filii, erudiebantur multum florens doctos et sapientes emisit discipulos, e quorum numero S. Wolfgangus, postea Ratisbonensis Episcopus etc. conf. p. 436. c. 9.

\*\*\*) AVCTOR VITAB WOLFGANGI §. IV. p. 813. Poppo monarchiam Wurzburgensis Episcopio tenebat, et quandam Stephanum de Italia, scholae doctrinae causa, conduxit, qui omnibus ibidem dicere cupientibus satisfacere posse. Ipsum quoque Popponem in schola illa docuisse, narrat WEINRICHIUS in schediastmate de lacu Hermannsfeldensi §. 12. n. e). Sed nullum plane testimonium profert.

\*\*\*\*) LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS ad ann. MLXXVII. Is (Hanno) in Babenbergensi ecclesie in ludo tam diuinuarum quam saecularium litterarum erutritus, postquam adolevit, nulla commendatione maiorum (erat quippe loco mediocri natus) sed sola sapientiae ac virtutis suae praerogativa Imperatori Henrico innotuit.

tisstites scholas instituere iussit Carolus M. imperator \*), quin et Eichstadii hoc factum sit, haud ambigo. Neque in collegio canonicorum, quos vocant, Eichstettenium occurreret *Scholaisticus*, nisi pristinis temporibus ibi floruisse schola cathedralis. Praefulibus quoque Eichstettensibus, qui regum et imperatorum Saxoniorum tempore vixerunt, singularis eruditiois laus tribuitur. De Starchando antistite, eodem, quo Henricus auceps Hunnos, Germaniam vastantes, prope Merleburgum ingenti clade prostravit, anno infusa sacra ornato \*\*), relatum legimus, eum cum pietate laudabiliter coniunxisse doctrinam, multosque libros describendos curasse \*\*\*). Eius autem successor, Reginoldus antistes, non modo eruditus fuit \*\*\*\*), sed et ipse ad scribendum appulit animum, ac de vita diuini Willibaldi librum compoſuit, qui hodie superat \*\*\*\*\*). Carmina contra, quae de eo cepigit, dudum perisse videntur. Megingaudum etiam, Reginoldi successorem poesin Latinam adamasse, versiculi testantur, quos infra e GRETSERO adduximus \*). Non adeo boni sunt, inquis. Evidem, Virgilium,

) ( 2 aut

\* ) Vide BARON. annal. eccles. ad ann. 813. n. XVI. LAVNOIVS. cit. cap. 1.

\*\*) Nimirum anno DCCCCXXXIII.

\*\* ) HEISLERVS in templo virt. et honor. D. WILLIBALDI p. 23. Pastor vere bonus (de Starchando loquitur) qui vt ouibus etiam post fata sua de pacuis salutabilibus prouisum est, ingentem sacrorum librorum copiam componi iuuit. ANONYMVS HASENRIEADVS apud GRETSERVM in catal. episc. Eystett. p. 426. Hic sacerdos magnus (Fermo est de Erchaubaldo praefule) eiusque successor Starckandus, quales quantique Episcopi fuerint in vita, quam periti et studioi in diuina scriptura, optimorum, quos fieri iusserunt, librorum visque bodie testatur multitudo copiosa. Vnde et memoria eorum non derelinquetur in saecula.

\*\*\* ) BRVSCHVS in catalogo episcoporum Eichstettenium: Regnoldus, vir doctissimus, trium linguarum egregie peritus, musicus eximus, tribus Ottonibus imperatoribus longe carissimus, a quibus multa insignia priuilegia consecutus est.

\*\*\*\* ) Inferit eum CANISIVS tomo IV lectionum antiquarum. AVCTOR ANONYMVS, qui vixit tempore Gundackeri II praefulis, Reginoldum quoque diuini Willibaldi laudes carminibus quibusdam cecinisse, affirmat. Reginoldus, inquit, accepto Episcopatu, summo studio, summaque devotione, historica de S. Willibaldo carmina compoſuit, totumque scientiae suae vim in his decorandis atque mirabiliter variandis excitanuit. Hinc est enim, quod quibusdam responsoriis longissimas in fine notulas apposuit, eisque notulis versiculos, instar sequentiarum, subiunxit. Vide et GRETSE. I. c. p. 154. qui tamen: num haec, ait, responsorium et tam exasfacta cantica et carmina aliqui supersint, nescio. Hoc scio, in breviario et missali Eystettensi non comparevere. Vide quoque CHRONICON SALISBURGENSE in PEZII scriptor. verum Anstriacarum T. I. p. 319. ad ann. 988.

\*) GRETSEVR de diuini tutelaribus Eystettensibus, p. 432. Idem Episcopus Megengozus lucernam, sive lychnuchum orbicularem, seu circularem, in medio templi cathedralis in honorem S. Willibaldi conficiendum curauit - - Adiecit hos versiculos, pro ratione aei illius bonos:

Hanc Willibaldo Pharum construxerat almo  
Praeful denotus, Mengofus nomine dictus,  
Qui piis hunc sanctis precibus coniungit eundem  
Turmis Angelicis coelesti nomine sanctis.  
Hoc Pater et Natus, nec non et Spiritus almus,  
Efficiat firmum, fixum, solidumque per aetum.



aut Nasonem, aliter cecinisse, facile largior. Sed Rosuita, quae tunc Saxoniam ornauit, aliquis huius aevi scriptores, profecto huic vati meo Eichstettensi palnam non praeripiunt; et hac scriptione demonstrare potissimum volui, vel ipsi illis, quae maxime barbara putantur et nominantur, temporibus paucis in Franconia nostra extitisse viros, eis, quos Saxonia, aut reliqua Germaniae provinciae, laudant, haud inferiores; nequaquam vero in nobilissima hac regione tunc rupices tantum, vt nonnulli somniant, atque agrestes homines habitaſſe. Atque eandem ob caufam, antequam Eichstadio reliquo, ad alias Franconiae tractus conuer tam oculos, Heribertum praefulem adhuc producam, qui, tempore Henrici II imperatoris, anno MXXII, ad illud dignitatis fastigium electus est, atque eruditioſis gloria tunc floruit maxime \*\*). Exstant adhuc VI hymni, quos compofuit \*\*\*) . Nimis tunc nondum, vt hodie, in clarissima hac litterarum luce, antititus persona indignum videbatur, Deum O. M. carminibus nouis celebrare; aut populum docere. Atque antititum exempla quum in animis eorum, qui parent, facerdotum in primis, permultum efficere soieant: nullus dubito, quin in praefulatu Eichstettensi et ali viri, qualisunque doctrinae illius aevi laude confipciui, tunc vixerint. Quorum tamen memoria plane perit; niſt forte, quibus illa renouari posset, scripta, alicubi latentia, tandem aliquando in lucem protractantur. Quam bene ageretur cum vniuersa historia et re litteraria, si, qui in bibliothecis monasteriorum Franconiae custodiuntur, thefauri a viris doctis, patriaeque amantibus eruerentur? Quot auctores medi⁹ aevi inuenientur, quorum in iis, qui iam exstant, bibliothecarum scriptoribus aut plane nulla, aut hiluca tamen, minimeque accurata mentio fit? Vtinam hac commemoratione academicā classicum caneremus, quo eorum, qui rei publicae litterariae emolumento esse possent, fugaretur somnus turpis! Veruntamen sine dubio haec fruſtra optamus. Dolendum enim est, bibliothecis illis ut plurimum praefici homines aut ignavos, aut indecetos, aut maxime difficiles et morosos; quibus ne ipſi quidem Suada perſuaderet, vt e penu locuplete aliquid depromant, depromtum vel ipſi dent foras, vel, si hoc facere nolint, cum aliis communient.

De Poponis I, praefuluis Herbipolensis, doctrina et litterarum amore, ſupra diximus. Sed et successor illius, Poppo II, eandem laudem meretur. Huius quoque antitit⁹ tempore Herbipoli, inter alios, floruit EGILWARDVS, sive EGILWALDV, qui vitam diu Burchardi compofuit \*\*\*\*). Idem existimatur scriptissime vitam diu Kiliani, quam CANISIVS \*\*\*\*\*), SERARIVS \*\*), et LVDEWIGIVS ediderunt \*\*). Henricus praeful etiam, qui inde ab anno DCCCCXCV usque ad annum MXVIII Herbipolenibus praefuit, in viridi aetate, Spirae primum,

dein

\*\*) ANONYMVS HASENRIEDANVS apud GRETSEVM p. 436. Heribertus nolis genere, nobilitor moribus, vir eleganter litteratus - - - Herbipoli nutritus, edocetus, egregia dictandi dulcedine in tantum enuit, vt tunc temporis bac in arte nulli secundus fuerit.

\*\*\*) ANONYMVS HASENRIEDANVS l. c. p. 437.

\*\*\*\*) Dedit eam SVRIVS, d. XIV. Ofc.

\*\*\*\*\*) CANISIVS T. IV. lect. antiquar. p. II. p. 628 (T. III. ed noua p. 174.)

\*) SERARIVS in opuscl. theolog. Mogunt. 1611. fol.

\*\*) in scriptor. rer. Wirtzburg. p. 966.

deinde Heripoli, in bonis litteris egregie profeceraat \*\*\*), ac vir singularis eruditiois et pietatis vocatur \*\*\*).

Neque silentio hic praeterire possum Eberhardum, prius unum praefulem Bambergensem. Fuit enim, antequam ad hanc dignitatem perueniret, Henrici II imperatoris cancellarius; cui muneri grauissimo viri, ut tunc erant tempora, egregie docti praeficiebantur. Ac sine dubio scholan Bambergensem, cuius supra mentionem iniecimus, multis adfecit beneficiis, et, ut magis magisque effloresceret, laudabiliter curauit; licet eius de schola illa merita scriptores mediis aeuis omiserint. Omiserunt et alia, notata dignissima; siveaque aetatis superstitionibus litantes, potius de rebus medioxumis minimisque, quae non valde curae esse solent Hippoclidi, nec mentis bene sanas lectoribus, garrinere.

Omnis tunc eruditio sacrarum tantum litterarum, (quas quidem putabant) continuebatur finibus; artes contra et scientiae, Romanorum ac Graecorum ingenii olim exultae, negligebantur; immo, quae caliginosii illius aeuus erat dementia, titulo *profanatus* vulgo infamabantur. Unde, quae scholarum illius aetatis conditio, cum in Franconia nostra, tum alibi, fuerit, facile coniici potest. Eminebat nimis in his *Scholasticus*. Ita tunc vocabatur, qui litteras theologicas docebat \*\*\*). Is inter reliquos doctores fulgebat

velut inter ignes.

*Luna minores.*

Scholasticum sequebatur *Cantor*, cuius ductu pueri iuvenesque ad modos, numerosque artis vocem accommodare discebant. Multo enim magis in episcopis et sacerdotibus tunc requirebatur, ut bene cantarent, quam ut sacras paginas rite interpretarentur. Vides, quare et hodie in collegiis canoniconum, quos vocant, *Scholasticus* et *Cantor* magnae dignioris esse soleant. Nec negligebatur quidem penitus poesis Latina; sed placet vnicel illud genus versuum, quos Leoninos nominamus. Excolebantur etiam paucae quaedam discipline mathematicae; in primis studium numerorum et scientia fidelis. Passim quoque suppettebat occasio in litteris Graecis proficiendi; sed paucissimarum scholarum ea videtur suisse felicitas \*). Lingua Ebraica contra non magis nota erat, quam Malabarica, aut Hottentotica. Vniuersitate fere philosophiam tunc constituebat dialetica; paucissimum rerum naturalium caussas indagabant; cuius quidem studii eum ut plurimum

) (3)

rimum

\*\*\*) *Frisius* in *chron. Herip.* p. 458.

\*\*\*\*) *idem* l. c. p. 446.

\*\*\*\*\*) Vide in primis de hoc nomine *HEVMANNI* praelectionem ad *TRIBECHOVIN* librum de *doctioribus scholasticis*, p. 10. Flourene igitur diuidum ante ortum Theologiae et Philosophiae scholasticae in monasteriis scholastici. Deinde vero quum in academia Parisiensi Petrus Lombardus tantum exsplenderet, ut illius libri *sententiarum* pro absolutissimo opere haberentur, omnisque sequentium theologorum opera in illis explanandis verfaretur: hoc pacto praeful ille Parisenis euafit lumen, oraculum, fons, pater, patriarcha *theologiae scholasticae*, i. e. *acromaticae*. Theologi enim illius aeuui duas quasi familias constituebant. Alii theoretici erant; ali practicos sele praebere volebant, omnisque theologiae speculativae studio, totos se dabant exercendae virtuti; non vereae, sed monasticæ. Horum studium vocabatur *theologia mystica*. Priorum autem doctrina *theologiae scholasticae* nomen gererat.

\* ) Dux virginis sacras, *Richardam* et *Gerbergam*, instituisse Rosuitam in lingua Latina et Graeca, relatum legimus. Fortasse etiam *Theophania augusta*, et illius coniux Otto II imp., in causa fuerunt, ut plures quam antea, in Germania inuenirentur, qui litteras Graecas docerent.

JK Tha 746

ximum ferebant fructum, ut pro mali genii foederatis haberentur"). Reliquarum philosophiae partium nomina vix audiebantur, sicut optima scripta Romanorum et Graecorum perpaucis, quae in manus sumerent, digna videbantur. Qui tamen eorum lectio delectabantur, emunctae naris viri, magna cura, magnisque sumtibus ea conquirebant"). Ac, nisi monachi partem otii sui dicassent deservendi auctoribus antiquis: profecto ad vnum omnes interierint. Claustra eorum tunc quasi erant officinæ typographicae.

Habes eruditioñis illius aevi, et simili scholarum Franconiae, de quibus hac exercitatione potissimum agere institueramus, faciem! A qua si hodierna distat (distat autem innumeris parasangis): immortales prefecto gratiae illis agenda sunt, quorum prouidentia et erga Musas amori, post Deum O. M., Franconia bonarum litterarum instauracionem debet. Quorum quidem agmen omnino ducunt SERENISSIMI MARGGRAVII CULMBACENSES atque ONOLDINI, quippe qui SVB munificentia, dignaque MAGNIS PRINCIPIBVS liberalitate, reliquis Franconiae proceribus exemplum, quod imitarentur, reliquere, atque, vt in terris suis, ciuibus atque exteris, abunde suppeteret discendi occasio, laudabiliter curarunt. Neque villa vñquam posteritas tam ingratia erit, vt tantorum meritorum memoriam obliuione deleri patiatur, sed potius sempiternis laudibus illa concelebrabit; ac quamdiu religionis doctrinaeque fatoribus suis inter mortales honor confabit, tamdiu etiam SERENISSIMORVM ILLORVM MVSAGETARVM gloria splendorum suum feruabit. In primis autem aeterno MVNIFICENTIAE SVB et FAVORIS erga artes atque scientias, earumque cultores, monumenta statuit SERENISSIMVS PRINCIPS AC DOMINVS noſter, DOMINVS

## F R I D E R I C V S C H R I S T I A N V S

PATER PATRIÆ INDVLGENTISSLIMVS, NVTRATOR HVIVS ACADEMIAE MUNIFICENTISSLIMVS, BIVSDEMQUE RECTOR MAGNIFICENTISSLIMVS. Cuius dies natalis exoptatissimus quum crastina luce, diuini Numinis beneficio, feliciter rededit: ad pietatem nostram publice declarandam nos rursum accingimus; communique affectu VIR SYMME REVERENDVS atque AMPLISSLIMVS, IOACHIM EHRENRIED PFEIFFER, theologiae docttor ac professor publicus ordinarius, dignitate ac meritis celebrandus, dioceſeos Erlangensis superintendens vigilantissimus, collega noster plurimum colendum, vocem et linguam commodabit. Is enim cras hora X in aerotheo maiori, nomine senatus academici, pro salute optimi PRINCIPIS, proque regiminiſ ILLIVS auspiciatissimi diuturnitate, nuncupabit vota. Omnes igitur, qui bonis litteris fauent, praesertim autem GENEROSSISSLIMOS NOBILISSIMOSQUE ACADEMIAE CIVES, vt frequentes adesse, ac nobiscum diem hunc felicissimum deuotissime veneratione prosequi velint, officiose atque amanter rogamus. P. P.

sub sigillo academico, d. XVI Jul. anno postquam homi-

nūm seruitus est depulsa cl. 10 CC LXV.

\*\*) Accidisse hoc in primis Gerberto, (qui Romanos inter pontifices est Silvester II) fatis constat.

\*\*) Exemplo sit, quem modo nominauimus, GERRBERTVS. Is epist. XLIV. scribit Eberhard, Abbat Turonensi: Cui rei preaparanda bibliotecam apudis comparo, et sicut Romae dudum, ac in aliis partibus Italice, in Germania quoque et Belgica scriptore, auctorumque exemplaria, multitudine numerorum redemi. IDEM epist. CXXX, ad Remaudum Monachum: Noſi, quanto studio librorum exemplaria vndeque conquiram, uoſi, quod scriptores orbis, aut in agris Italie, paſſim habentur. Agregero, et te jolo confcio, et tuſ ſumib⁹ ſac, vt mihi deſcribantur M. Manilius de Astrologia, Vitorius de Reatorica, Demoftheneis Optibalnicus, (Liber Demoftheneis, medici Graeci, qui tempore Neronis imperatoris floruit, intelligitur; fed ſcriptum illud ad nos haud pertinet.) IDEM epist. CXXXIX. Sphaeram tibi nullam nifim⁹, nec et parai laboris tam occupari in ciuilibus cauſis. Si ergo te cura tantum detinet rerum, volumen Achileidos Statii, diligenter compofitum, nobis dirige, ut sphæram, quam gratis, proper dif-  
ficultatem ſuam, non poteritis habere, tuo munere valeas exto queſe.

(L. S.)

X2627084

VO 18



V016

ULB Halle  
008 560 447

3





F.K. I,46.

IIa  
746

AD  
SACRA GENETHLIACA  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI CHRISTIANI

MARG GRAVII BRANDENBURGICI BORVSSIAE  
SILESIAE MAGDEBURGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM  
STETINI POMERANIAE CASSVBIORVM MEGAPOLEOS CROSSAE DVCIS  
BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS PRINCIPIS HALBERSTADII MINDAE CA-  
MINAE VANDALIAE SVERINI RACEBVRGI ET MVRSSI COMITIS GLAZAE  
HOHENZOLLERAЕ MARCAE RAVENSBERGI SVERINI DYNASTAE

RAVENSTEINII ROSTOCHII

STARGARDIAE RELIOVA

ACADEMIAE FRIDERICIANAE ERLANGENSIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

D. XVII. IVL. A. O. R. cij 13 CC LXIV.  
SOLEMNI PIETATE PERAGENDA

PRORECTOR  
IOANNES RVDOLPHVS  
KIESI

THEOLOGIAE DOCTOR AC  
TEMPLI

PROCANCELL  
DECE

PRAEMITT  
DE LITTERARVM IN  
IMPERATOR



ER  
TYPIS TI

BIBLI  
PONIC

